



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 20. Dedicatio Ecclesiæ S. Aniani Aureliani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

chiepiscopo scripserunt conquerentes, ^{Sæculum XI.}
 quod contra Canones ageret. Præterea ^{A.C. 1029.}
 ad Guerinum Episcopum Bellovacensem, ^{Ap. Fulb.}
 ad Odolricum Aurelianensem, Arnul- ^{ep. 131.}
 phum Archiepiscopum Turonensem lite- ^{ep. 132.}
 ras dederunt querelis plenas contra Ar-
 chiepiscopum & Regem, qui sibi invitis
 Episcopum indignum & scientia destitu-
 tum vellent obtrudere. In eadem epi-
 stola addunt: *Nolite spe falli, futurum,*
ut Odo Comes eum unquam in suam civi-
tatem recipiat, priusquam quæstionem ad
examen vocaveritis, an Episcopatu dignus
sit. Nec vobis timendum, ne fidem Regi
debitam violetis, nunquam melius de Prin-
cipe vestro merituri, quam si eum ad tol-
lendos in Regno suo abusus compellatis.
 Tandem S. Odiloni Cluniacensi quoque
 scripserunt, veriti, ne Comitem Carnu-
 tensensem ad Theodoricum in pace admit-
 tendum permoveret. Sed incassum
 omnia; nam Theodoricus Episcopatum
 Carnutensem obtinuit.

ep. 133.

§. XX.

Dedicatio Ecclesiæ S. Aniani Aure-
reliani.

Idem Episcopus interfuit Dedicationi Ec- ^{Helg. p. 73.}
 clesiæ S. Aniani in Urbe Aurelianensi,
 quam Robertus Rex anno hoc millesimo
 vigesimo nono magna pompa celebrari
 iussit. In hac Ecclesia perticas quadra-
 ginta

Q 5

ginta

Sæculum XI.
A.C. 1029.

ginta duas longa, duodecim lata, & decem alta, numerabantur fenestraz centum viginti tres, & Altaria novendecim, quorum princeps S. Petro erat Sacrum. S. Aniani theca argentea auro & gemmis distincta rutilabat. Dedicationi vero iubente Rege interfuere Archiepiscopi tres, Gauselinus Bituricensis, Leothericus Senonensis, & Arnulphus Turonensis, cum Episcopis quinque, Odolrico Aurelianensi, Theodorico Carnutensi, Bernario Meldensi, Guerino Bellovacensi & Rudolpho Silvanectensi. S. Odilo Cluniacensis quoque venit, pluresque alii viri egregii, quorum colloquiis Rex delectabatur. Rex thecam S. Aniani suis humeris intulit, & cæremoniis omnibus peractis, flexis ante Altare majus genibus, purpuraque deposita, publica oratione Gratias Deo egit.

Multis donis Robertus Rex Ecclesiam S. Aniani cumulavit, eidemque decedens legavit Oratorii sui Sacram suppellectilem, quæ sequentibus constabat; videlicet octodecim pulcherrimis Trabeis, duobus Libris Evangeliorum, auro cælestis, duobus argento ornatis, duobus aliis minoribus cum Missali ultra-marino ebo-re & argento fulgenti, duodecim arcubus aureis cum Sacris Reliquiis, Altari, in parte antica auro & argento decorato, in cujus medio Onyx, & tres Cruces aureæ,

reæ, quarum maxima septem librarum ^{Sæculum XI.}
 erat, conspiciebantur. Campanis quin- ^{A.C. 1029.}
 que, quarum una erat librarum bis mille
 sexcentarum, jubente Rege solemniter
 baptizata, & de nomine Regis *Robertus*
 appellata. Sunt verba Helgaldi mona-
 chi, ex quibus discimus, quod jam tunc
 Benedictio campanarum Baptismus dice-
 retur. Notat etiam in illa Benedictione
 oleum & chrisma fuisse adhibitum.

Ceterum optimi Regis filii, cum ^{Glab. III.}
 a Matre male haberentur, in Patrem com- ^{hist. c. 9.}
 muni consilio arreptis armis, ejus Di-
 tiones depopulati sunt. Rex juvenis
 Henricus Druidas cepit, Robertus vero
 ejus Frater Aballum & Balnam oppida in
 suam potestatem redegit. Rex contracto
 milite in eum per Burgundiæ agros mo-
 vens, in itinere Guilielmum Abbatem
 consulit, quid in isto domestico turbine
 sibi agendum esset, se & filios suos ejus-
 dem ad Deum precibus commendans.
 S. Abbas respondit: *Memor sis, Rex,*
quam refractarius juvenis parentibus tuis
fueris, jamque Deo sic permittente filios
tuos pœnas reposcere. Mansuete tulit Rex
 monentem Abbatem, culpam veterem
 professus. Postmodum compluribus
 unius alteriusque provinciæ agris deva-
 statis pacis fœdera cum filiis inire non
 recusavit.

§. XXI.